



Annales electorum ecclesiasticorum. episcoporum item Leodiensium, a primis usque ad modernos. : Doctorum quoque, qui olim Germaniam ad fidem ac Christi religionem adduxêre, quiqúe in ea doctrina ac vitae sanctimonia excelluerunt, ubi eorum modò sacra pignora conserventur, commentarius brevis. Item Summorum pontificum, qui ex Germania fuerunt orti, catalogus. tum quàm olim Germani principes in Catholicam ac Romanam Ecclesiam prompti fuerint, historiae breves & dilucidae.

<https://hdl.handle.net/1874/429700>

ANNALES
ELECTORVM EC-
CLESTICORVM. EPISCOPO-
RVM ITEM LEODIENSIVM, A
 primis vsque ad modernos.

DOCTORVM QVOQVE, QVI OLIM
Germaniam ad fidem ac Christi religionem adduxere, qui-
que in ea doctrina ac vita sanctimonia excelluerunt,
vbi eorum modò sacra pignora conseruentur,
commentarius breuis.

Item Summorum pontificum, qui ex Germa-
 nia fuerunt orti, catalogus. Tum quàm olim Ger-
 mani principes in Catholicam ac Romanam
 Ecclesiam prompti fuerint, Historiæ
 breues & dilucidæ.



COLONIAE,
 Apud Godefridum Kempensem:
 Anno M. D. LXXVIII.

A N N A L E S

E T


...

...

...

...

...



C O L O N I A E

Apud Godefridum K... ..

anno M. D. LXXVII

REVERENDISS ET
ILLVSTRISS. PRINCIPI AC

DOMINO, D. GEBHARDO ARCHIE-
piscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperij per
Italiam Archicancellario, Principi Electo-
ri, VVestphaliæ & Angariæ
Duci, &c.

RECTÈ à Maioribus nostris Reuerē-
diß. & illustriß. Princeps instituti
ac obseruatum fuit, vt in omnibus
negotijs ad Spiritum sanctum, tan-
quam tutissimum asyllum confu-
gerent, et sine eius auspicijs nihil adorsū sint. Intel-
lexerunt illi nimirum, omne esse frustraneū, quic-
quid sine eius adminiculo inchoatur, nihil vel re-
ctè ordiri vel bene curari, vel sapienter admini-
strari. Quicquid enim ab illo non proficiscitur, id
omne esse mēdaciū. Hic est qui veros episcopos,
qui legitime sunt vocati, instituit. Hic est, qui di-
sciplinæ effugiet fictum, qui omnium est artifex.
Sit nauis bene disposita, si nusquam est spiritus vē-
ti, nonne tardat omnis quantuscunque est appara-
tus? Ita sanè si sit in homine felix ingenium, expe-
dit a eloquentia, absoluta *κωλοπαίδι*, & non absit
Spiritus sancti numen, quod vim peculiarem sup-
pediat, otiosa sunt omnia. Opus est & quadā ve-

bementia, ut mens ardens in nobis existat, ut stu-
 dium sit intentum, ne ob segnitiam sustinere ac in-
 bærere non sinat. Quia verò impensius orantibus
 nobis Dominus dignatur Spiritus sancti prospe-
 ram dare auram, ideo & summa attentione por-
 tam salutis ingredi debemus, et eo prosperate, hu-
 ius Spiritus ductu perseuerare. Ingerunt sese non-
 nulli, qui vndiq; nihil nisi Spiritus spirant, at ta-
 les Spiritus vereor, quales apud d. Iob cap. 32. Ia-
 Etant illi, male metuo, ne sint mendaces, ambitio-
 nis, hæreseos Spiritus. Det autem illis Deus Spi-
 ritum sanctum, Spiritum veritatis. Quem vtrinq; a-
 ita audirent, ut esset audiendus, nunquam in tot
 prodigiosos prolaberentur errores. Quis quicquã
 potest citra illius adminiculum? Iactat quidem il-
 li Spiritum, at pietatis solide hæctenus nullũ qui-
 uerunt exhibere argumentum. Quare & eo impu-
 dentia deuenerunt, ut de cunctis ecclesie quæstio-
 nib. audeant disputare, imò omnia inuertere, et ni-
 hil suo relinquere loco. Sed quid inde obsecro? Be-
 nè habet, quod malitia, non tantas habeat vires,
 quãntos conatus. Perierat innocentia, si semper
 inuicta esset nequitia potentia, et totum quicquid
 cupit calumnia, præualeret. Agunt autem huius-
 modi temerarij omnia pro suo libitu, decreta Or-
 thodoxorum rident, conuellunt, traditiones ex-
 hibi-

hibilant, neminem audiunt, omnes præ se fastidiunt, et quia semel Spiritum sanctum, Spiritum veritatis à se abiecerunt, nullis salutaribus monitis acquiescunt. Vbi verò tales Spiritus vertiginis regnant, quid potest rectè institui? Tales profectò nunc multi in mundo sunt Spiritus nequam. Contra sunt, quos si interrogas cum Philippo, nū Spiritum sanctum accepistis, postquam credidistis? dicent cum Ephesijs: imò neque sit Spiritus sanctus audiimus. Sunt alij qui cum Macedonijs iure dici possunt pneumatomachi, ob pugnam cū Spiritu sancto, cum ei resistunt, aliter de eo sentientes quàm Orthodoxi. Veterum studia, quorum vestigijs insistere debemus, cohortantur, vt antiquum obtineamus, ne simus inexcusabiles. Cognouimus quidem Deū, verum vt Deum glorificare debemus. Qui autem sciūt et vocationem suā perpendunt, tãto diligentius animo recogitant, quãto augustius est munus, quo funguntur. Cum itaq; mihi plenè persuaserim hanc R. T. & Ill. I. C. promotionem à Deo esse, quare ille erit fortunaturus, cuius numine es factus Princeps. Legittima vocatio sine ambitione, non potest non & tranquillam reddere conscientiam, et non mediocrem apud omnes parere benevolentiam. Tot piorum pro fidei habendo pastore, preces (impossibile est

multorū non audiri preces) apud Deū sine dubio
 admiffæ atq; recitatae fuere. Omissis istis q̄ suo lo-
 co, licet nō satis pro sua dignitate, dicētur. Quod
 autem libello magnificus præfixus sit titulus, &
 fragmentum hoc tantū exhibitum, volui quo-
 rundam satisfacere petitioni: cætera autem, Deo
 volente, propediē per opportunitatem, vt respon-
 deant titulo, prodibunt. Dominus Iesus R. & I. C.
 T. Ecclesie sue Catholice reparandæ atque instau-
 randæ, quam diutiſſ. seruet incolumem, Colonia
 ex Minoritarum cœnobia, anno salutis 1578.
 diui Antonij ferijs.

R. & I. C. T.

F. Petrus Βάτραχελιος

subiectis.



FRANCISCO
IUNIORI, D. FRANCISCI
BURCHARDI ARCHI-
GRAMMATEI ELECTORIS COLO-

*niensis, Doctoris clarissimi filio generis no-
bilitate, morumque honestate
conspicuo.*



VMolim optime Francisce iuuen-
tutis tuæ pædotriba datus essem,
optima vitæ honestæ præcepta,
quantum ætas illa tum capere po-
tuit, si meministi, tradidi. Intellexi-
sti virtutem nihil aliud esse, quàm
rebus rectè ad Dei laudem vti posse: vitiositatem
contra rebus abuti. Illius originem ex fonte om-
nis boni fluere, huius productionem ab inimico sa-
lutis nostræ prodijisse. Vtriusq; documenta à me ti-
bi quòdam crebrius proposita atque inculcata fu-
re. Quorum ne inter alia tua negotia obliuifca-
ris, epitomen ex annalibus Archiepiscoporum Co-
lonien. deceptam seu mnemosyni amicitia nostræ
vice ad te mitto, petens, vt bono animo, sicut à me
offertur, à te accipiatur. Et has Collectiones qua-
lescunq; animo candido tibi ea ratione volui in-
scribere, cum, vt tibi ob susceptum felix cõnubiũ
ex animo gratularer, tũ vt necessitudinem nostrã
auctiorem confirmatioremq; redderem. Nec sanè
video tibi hæc ineptè dedicari. Quicquid enim hic
ñt, in gratiam tui charissimi ac clarissimi parentis
est. Hic enim iam, tot annis Archilogothenen in

Electorum Colonien. curia summa cum laude domi & foris apud Reges & principes egit. Cogites tu diligenter, à quibus sis natus parentibus, vbi educatus. Habes patrem (vt de progenitoribus tuis charissimis, gloriosæ memoriæ, taceã) virũ ornatissimum, iuris vtriusque Doctorem consultis, qui in quã, in aula Reuerendis. Archiepiscopi Colon. maxima dexteritate Cancellarium peregit, qui apud Cæsaream maiestatem (cui, si obsequi voluisset, inter intimos Consiliarios facilè cõnumeratus fuisset) summæ est authoritatis. Habes matrem, Mariam Salome, matronam optimam, summæ prudentiæ, ac pietatis in Deum, fœminarum Bonnensium decus ac singulare ornamentum. Institutus es Colonia semper inter probitate & eruditione claros viros. Horum ergo non diffidenter confido persuadeoque mihi, non incontanter insistes vestigijs. Ob huius igitur ornatissimi genitoris tui, optimè de me meriti præclaras virtutes, tibi Franciscæ paternæ hereditatis ac honoris illius vindici, hæc dedicare placuit. Scio te historiarum lectione non modicè delectari, & sanè non immerito. Harum enim lectione ac scientiam omni hominũ quorum cunq; generi, in primis verò ijs, qui aut alijs imperant, aut huiusmodi sunt à consilijs, non solum vtilem ac iocundã, verũ etiam necessariã esse, neminè esse arbitror tam rerum imperitum, qui inficias iturus sit. Cum enim sit historia (quemadmodum eam Cicero definit) testis temporum, lux veritatis, vita ac magistra memoriæ, nũtia vetustatis, in qua illustria exempla, ab magnorum principum, ciuitatum ac aliorum præclarorum virorũ rebus gestis, nobis expressa sunt, vt ijs excitati, quantũ vni-

cuique

cuique in suo statu conuenit, ea imitemur: contra
 uero scelerata quorundam facta ac iniusta consilia,
 nobis ob oculos posita, ut eorum horrendis pœ-
 nis, quæ eiusmodi facta plerumque sequuntur, & in-
 iustorum ac impiorum consiliorum infælicibus
 euentibus deterriti, similia nec faciamus, nec alijs, ut
 faciant, autores vel consultores simus, cum sit, ut il-
 le inquit: *Fœlix quem faciunt aliena pericula cau-
 tum.* Quis queso sit, qui historias summo studio
 legendas negare auit? Quamuis enim cõmunia vi-
 tæ præcepta, quæ ad benè beateque uiuendum lite-
 ris tradita sunt, si quis illis legitime imbuatur,
 non parum ad vitam rectè instituendam ac formã-
 dam faciunt: nescio tamen, quo pacto historiarum
 exempla longè efficacius animos à sceleribus deter-
 reant, & ad imitationem rectè factorum accendant
 ac inflamment. Hinc fit, ut alicuius vel multis ab-
 hinc seculis defuncti res fortiter & præclare gestas
 legentes, illum laudibus extollamus, & illius vir-
 tuti applaudimus: in alterius autem vel facinoro-
 sa consilia, vel scelerata facta incidentes, tum no-
 men, tum cineres ipsius quoque execremur, & po-
 steris eiusdem adhuc superstitibus, quãuis in hoc
 innoxijs, non omnino faueamus. Celebribus histo-
 rijs iure Germanos Electores Ecclesiasticos con-
 numerare possumus. Si enim peregrinis & exoticis,
 imò gentilibus delectamur, quare non magis pa-
 trijs & domesticis? Fuerunt sanè tales, qui tum gene-
 ris præstantia, tum virtutum omnigenarum excel-
 lentia plurimum præstarunt. Horum certè memo-
 ria, tanto magis est in gloria & benedictione, quan-
 to eorum munus (qui omnes sacri fuere flamines)
 præ alijs excelluit. Nulla est enim excellentia præ-

stantior, nullum administrandi munus (teste D. Ioan. Chrysoft.) dignius sacerdotali. Hic luce clarius cōspicimus quam quisq; in suo munere fuerit diligens, quomodo delegatam prouinciam omnibus modis exornare conatus fuerit. Nihil non admiratione dignum in illis principibus inuenies. In omnibus Episcopis nullus ferè est qui non alium pietate adnexus fuerit superare, ac posteris nomen suum summa cum laude, consecrare. Huiusmodi viros gloriosos scriptura sacra merito diuinis encomijs dignos iudicat. Et virtus per se clara est, vt tacentibus hominibus se prodat ipsa. Quod igitur ex variorum autorum scriptis, plurimisq; antiquitatis monumētis cognoscere licuit, quàm fideliter potuimus, dedimus & obtulimus. Nec quicquam hic nostro priuato iudicio instituiamus, verùm pijs pariter & doctis scriptum exhibuimus, & eorum communicato consilio, securiùs in lucem proferri passi fuimus. Huiusmodi mihi placuit studium, & priuatis meis addidi: placeant alia alijs, vt cuiusq; animi sui fert libido, cum & sua quemq; trahat voluptas. Omnium autem vt extremum, ita perniciosissimum detractandi ac mordēdi studium semper habitum. Vtinam illud D. Hieron. ad Nepot. omnes detractores expenderent: Caue ne aut linguam aut aures prurientes habeas, id est, ne ipse detrahas alijs, aut alios detrahētes audias, æqualis est periculi. Clamat diuin⁹ psalter. Redime me à calūnijs hominum. Et: Libera animā meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Sed valeant susurriones, importuni homines, rabidi canes. Non possum autem non summas habere, & agere gratiarū actiones præstantissimo viro D. Ioanni Auerdunck, iuris Licētiato

consul.

EPISTOLA.

consultissimo, optimè de me merito, qui pro suo
 candore eximio scriptū hoc & consilio & ope pro-
 fecutus est. Volui autem & de singulis, quæ hic tra-
 ctātur, exactiorem reddere rationem, verūm quia
 epistolaris non patitur angustia, intermittere vi-
 sum est. Præcor interim ac ex animo exopto, te vnā
 cum tuis dulcissimis parentibus, dilectissima con-
 iunge, ac fratre Ioanne Gebhardo, & nepote Iaco-
 bo animo pariter tum corpore quā̄m ciuitissimè
 simul & faustissimè valere. Colonia anno salutis
 humanæ, 1578.

F. Petrus Βάτραχελιος
 Iuliacus Minorita Theol. Baccal.
 tibi deditis.



12
 A N N A L E S
 C A T A L O G V S A R-
 C H I E P I S C O P O R V M C O L O-
 N I E N S I V M . C A P . I .

S P E T R V S Apostolorum vertex, cum Roma ageret, ut & Germaniam ad Christi religionem adduceret, viros summa præditos virtute, Eucharium, Valerium & Maternum ex 72. Christi discipulis ab Vrbe, quæ mater & caput est omnium Ecclesiarum, ad hanc patriam destinavit. Cum autem in Galliam venissent, ac Treuiris, quæ totius Europe erat metropolis, moram traherent, suo minime desuere officio. Verùm in prædicationis suæ exortu, Maternus eorum socius, fatali necessitate obiit. Duo igitur de charissimæ socij interitu non parum consternati, redeunt Romam, remquæ magistro exponunt. Qui eos bono esse animo iubet, baculum suum illis tradens, ut in fide firma super mortuum ponerent, mædat. Fides illa ac obediëntia hic tantum valuit, ut per dies quadraginta mortuum, ad vitam reuocauerit. Eucharium igitur vnà cum suis, diuino egregiè insistens operi, Germaniam implet Euangelio, Treuericam annis 25. fundauit ac rexit Ecclesiam, qui signis plurimùm valuit. Obiit vir sanctus ann. Dom. 66. Valerius inde S. Eucharij decreto successit, & diligentissimo docendi populum studio, opus inchoatum per annos 20. sedulo cõfirmare incubuit.

1. S. Maternus tertius symmistes rediuuius succedit, præfuit sub Domitiano Imperatore circa annum Christi 83. et sedit in pontificatu annos 40. & dies totidem, quot mortuus fuerat. Hic Vbiorum populos gentili errore detentos,

Chri-

Christiana religione illuminauit, circa annum domini 94. qui factus est omnium diuini uerbi ministrorum lucidissimum exemplar. Nondum tunc temporis erant prouincia in dioeceses & paroccias distincta. Vnde & Agrippinensem inuò & Tungrensem, in uiam Christiana ueritatis p̄ys concionibus adduxit, rexitque Ecclesias. Has tanquam funem triplicem fidei glutino coniunxit. Mortuus est Colonia anno do. 134. & corpus translatum diuino nutu Treuirim, & Collegis suis coniunctum. Baculus hic quo fuerat ad uitam excitatus, pars superior Colomen, inferior Treueren. Ecclesia assignatus est. Postea grassante in Christianos persecutione, rursus Vbi defecerunt, & à suscepta fide ad paganismum conuersi sunt. Propterea Agrippina sine legitimo Episcopo fuit annis 244. Tandem Gothi, peruenientes Agrippinam, ibidem sibi Episcopum constituunt, Euphratam hereticum Photinianum, annum domini circiter. 378. vbi cū plus minus 20. annis Episcopum ageret, & heresim Arrianam contumaciter defenderet, ab Episcopis Gallia i 4. in Synodo Agrippinensi, presidentibus S. Seruatio & S. Maximino, exauthoratus est, anno dom. 398. sub Iulio Pont. Rom. Helena Constantini Magni mater Colonia Basilicā d. Gereonis anno 310. construi fecit permagnificam, itidē & Bonna & X̄atis Collegia procurauit. Ab istis duobus oppidis anno 280. post euersam Troiam fundatis, Iuliacenses, Geldrēs & Cliuenses populi dimanarunt. S. Gereoncum suis 318. passus est sub Maximiano in hys trib. locis anno salutis 280. 2 S. Seuerinus ex Aquitania Burdegala ex nobilibus ortus parentibus, ac bonis literis optimè instructus, primo apud Senonas in Gallia Episcopus, postea ex Angeli prophetia apud Agrippinam tempore Damasi Romani Pontificis

in Theodosij I. Imper. post deiectum haereticum constitutus est episcopus anno dom. 398. Hic non solum Coloniensem, verum etiam multas vicinas Ecclesias sua egregia pietate ac saluari doctrina ab Arriana repurgauit haeresi. Colonia Conuentum fratrum ac Ecclesiam in honorem S. S. Cornelij & Cypriani instituit. In decessu diui Martini hymnum angelicum audiuit. Tandem cum annis 26. sanctissima vita praefuisset, ut suos amicos inuiseret, & aeternum valediceret, profectus est in patriam, & ibidem correptus febre, vitam hanc lugubrem amisit, & aeternam patriam reperit. Corpus eius à S. Amando curatum est. Inde ab Aquitania per d. Euergisum, ac Ciues Colonien. translatum Coloniae ac in eius Ecclesiam repositum, qui est singularis patronus Colonienf. apud Deum.

3 S. Euergisus d. Seuerini Archidiaconus anno dom. 438. magistro, legitime creatus, successit: fuerat Tungris ex praclaris parentibus natus. Fuit acris ingenij, in diuinis literis nobiliter eruditus, vita purissimus, et ad Christianam philosophiam penitus expeditus, doctor Ecclesiae incomparabilis. A magistri sui probitate minime discessit. In patria sua cum nocte loca sacra frequentaret, à Scurris inuasus & sagittis 18 Calend. Octob. interemptus est, cum an. 15. laudabiliter praefuisset. Corpus eius per D. Brunonem Archiepif. ann. gratiae 953. Coloniae translatum est, ac martyris loco apud Sanctam Ceciliam veneratur.

4 S. Aquilinus siue Solinus quibusdam, an. Christi 467. ordinatus est Episcopus. praefuit vtilissime ac religiosissime concionando, tum bene viuendo annis 10. Hic suis manibus S. Ursulae ac multas virgines sacras sepeliuit. Accidit enim eius temporibus, id est anno salutis 466. cruentissimum sa-

55 ARCHIEPISCOP. COLON.

crarum Virginum undecim milium, ob Catholicae fidei integritatis constantiam martyrium, tempore Maritani Imper. sub Attila Hunnorum rege tyranno acerrimo. Industria civium Basilica d. Ursula constructa est, inde Croma-
tius vir clarus ac externus eam reparavit. Vide scriptum no-
strum de sanctorum Germania historijs.

5 Simoneus venerabilis pontifex anno salutis 511.

6 Carentinus tempore Iustini iunioris, anno domini 560.
Hunc Fortunatus poeta plurimum à doctrina integritate,
vita pietate, zelo iustitia, ac alijs non vulgaribus virtutibus
commendat.

7 Remedius anno virginei partus 610. quo regnum Fran-
cia Christianam suscepit religionem per S. Remigium in
Ecclesia fulsit.

8 S. Cunibertus Ducis Lotharingia Grollonis filius. Ob infi-
gnè pietatem, cui prudentia comes esse solet, regi Francorū
Dagoberto innotuit, qui eius praesentia, morū gravitate ac sa-
nis cōsilijs plurimū delectatus est. Regis igitur huius aucto-
ritate ad Ecclesia Colon. gubernaculū admotus est annū cir-
citer 622. tempore Heraclij. In eo constitutus officio, Dei ho-
norem ac omnium salutem promouere ac procurare toto
pectore incubuit, & verbo & exemplo optime ac fidelissimè
annis 40. rexit. Cum diuina in templo d. Ursula perageret,
deus per columbam eius sanctitate in ostendit. Regis Fran-
corum filium Sigibertum in omni pietate instituit, & hac
ratione susatum Ecclesia Colonien. adiecit. Extra muros
urbis in honorem diui Clementis templum construxit, &
Conuētum fratrum instituit, et possessionibus magnificè do-
tauit. Tandem sanctiss. Praesul vita huic colophonem impo-
suit, & in suam Basilicam, id est Clementis, honorificè re-
condi-

conditus est. Huius tempore honestissima matrona Plectrudis petitione Capitolium in Ecclesiam matris Christi, & Collegium nobilium virginum consecratum est. Vide in maiori catalogo.

9. Bocaldus anno gratiae 655. praesulatum gessit, quo pestis illa nocentissima Mahumetana, coepit.

10. Stephanus anno 660. sub Theodorico 10. rege Francorum. De quibusdam nihil aliud scire potuimus, nisi tantum nuda nomina.

11. Aldeuvinus sive Abeluuinus anno domini 690. sub Clodoveo 3. rege Francorum. Huius tempore exordiū habere coepit monasterium Regularium prope Nouesium, quod Sacellum S. Magdalena dicitur.

12. Giso anno salutis 694. qui à morte apud S. Seuerinum sepulturam habuit.

13. Hanno, vir qui vocationem suam ad Dei honorem, & animae suae salutem, ac proximi commodum sempiternum perduxit. Portiones aliquot apud S. Seuerinum ordinauit, & ibidem tumultum elegit.

14. Pharamundus anno 718. sub Dagoberto 2. rege Francorum. gubernaculum Ecclesiae tenuit.

15. S. Agilolphus fuit ex sacro illo collegio, quod S. Bonifacius ex Anglia in Germaniā, ut eam ad Christi religionē cōuerteret, adduxit, qui serè omnes, ut fuerunt viri sanctitate & eruditione insignes, ita eius quoque consanguinei & amicitiae vinculo coniuncti. Hic Agilolphus in nouello monasterio Malmodensi monasticen est professus, inde ob egregiam pietatem praefectus illi in Abbatem, & cum à rege Francorum plurimum diligeretur, Ecclesiae Coloniensis illatus Archiepiscopus, anno Christi 720. Fuit vir pius, ni-

ius ac pacificus, & bonus gubernator Ecclesie. Fuit & adulterorum acerrimus insectator, & ob summam probitatem, (vt fieri solet) impijs valde inuisus, qui tandem nacla occasione, quum Legatus esset pro pacis fœdere à Rege Gallie, eum innocenter prope Malmodarium interemerunt. Locus ille in quo fuit occisus, multo tempore viridis permansit, & nocte ingens lumen protendebatur. S. Bruno, inde eum anno salutis 956. transtulit, & ad Gradus Mariæ Colonia reposit.

16. Rangefridus siue Albericus anno domini 746. sedit ad clauum Ecclesie, & rexit fideliter annis ferè 20. Circa hæc tēpora, nempe anno domini 756. floruit S. Gangolphus Comes in Burgundia, vir pius ac iustus, cuius vxor admodum infidē egit in eum. Quod cum cognouisset, eam ob adulterium dimisit. Inde ipse adulteri dolo interemptus est. Cū verò post mortem miraculis celebraretur, eius inuidens vxor sanctitati Gangolphus ait, vt meus podex adit miracula, quod statim consecutū est. Nam quoties mulier loqueretur, anus eius crepuit.

17. Hildegerus anno salutis 778. cum apud regem Gallie Cancellarium ageret, Ecclesie regimen suscepit. Fuit vir multis magnisq; animi dotibus ornatus, & maioribus vitæ meritis suspiciendus. Casu lapsus est de equo, & corporis iacturam non mediocrem passus est. Inde diu SuiBERTI beneficio (quem postea apud Insulam Vverdenam è terra leuauit) consecutus est sanitatem. Cum postea à Pipino Francorum rege contra Saxones rebelles mitteretur, pro pace conficienda, apud Vveseram fluuium iterum lapsus fecit, & breui, cum annis ferè septem præfuisset, mortuus est, qui sepulturam habet apud Aureos martyres.

18. Bertholinus canonicè electus anno salutis nostræ 804^{is} præfuit annis 10. sub Pipino rege Caroli Magni patre.
19. Riculphus in successorè eligitur anno gratiæ 814. sub Carolo magno, qui præfuit annis 22. laudabiliter.
20. Hildebaldus ex honesto Sacerdote ob animi candorem & innocentiam Caroli Magni autoritate constitutus est Ecclesia Colon. Antistes. Præfuit utilissimè ac summa cum laude. Ludouicū Caroli Magni filiū Aquisgrani in Regem Romanorū vnxit. D. Petri monasterium, vbi modò est summum templū, in quod serè omnes Episcopi sepulti sunt, construxit. S. Luitgerum ordinauit & consecrauit Episcopum, & eū apud Frisones verbi Dei præconem instituit. Valedixit huic mortali vitæ anno dominicæ incarnationis 833. et ad aureos martyres sepultus est vir sanctitate conspicuus.
21. Hattebaldus vnanimi Cleri & populi consensu constitutus est Episcopus. Circa hæc tēpora festiuitas omnium sanctorū in Ecclesia celebrari cœpit. Fuit incomparabili virtute ac morum integritate præditus. Præfuit laudabiliter sub Ludouico Pio annis 12. obiit autem an. 855.
22. Guntherus sive Guntharius assumptus in summum Sacerdotè anno do. 855. Fuit vir in sacris literis apprimè eruditus, ac magno animo præditus. Habuit sororem Vastradam, quam dux Lotharingiæ Lotharius, repudiata legitima. superduxit, & hoc diuortium hic approbauit: quare à Nicolao I. excōmunicatus est. Cum autem excōmunicacionem non curasset, spoliatis sacris vestibus ab angelo (vt fertur) mortuus est. Sub hoc initium habuit Cœnobium Virginum diui Quirini apud Nouesium, vbi modò sunt Canonissæ, cuius fundator Comes Cliuens. Luthardus fuit.
23. S. Villibertus precibus & intercessione Caroli 3. diligenter

ARCHIEP. COLON.

19

ligenter populo Agrippinensi commendatus anno do. 870. consecutus est Pōtificatum per legitimam electionem. Fuit ante presbyter Colonien. doctus pariter ac pius. Habuit Synodum Colonia, cui Moguntinus & Treueren. Episcopi interfuere: Statutum ibidem vt Sacerdotes sacris literis operam sedulo dent, ouesque Christi fideliter pascant, neque eas malis exemplis trucident. Praesuit sub Arnulpho imper. annis 20. laudabiliter, cuius ossa apud S. Andream conseruantur. Sub hoc initium habuit Collegium Virginū Essense per Alefridum fundatum, ac Collegium d. Eugenia, quod modo est sancta Cecilia Colonia.

24 Hermanus Pius ab vnanimiter cōsentiente Clero summi Collegij eligitur an. 890. fuit vir bonus, iustitiae ac equitatis promotor & defensor. quare in aula Arnulphi imper. summa erat autoritatis. Praesuit annis 35. & apud S. Andream, cui de decimis bene prospexit, sepultus.

25 VVitfridus anno aeternae salutis 926. creatus pontifex, ac in eo administrationis munere annos 25 sub Ottone imperatore i. inculpate egit.

26. Bruno imperatoris Ottonis cognomento Magni, germanus frater, cum optima esset indolis, Baldrico Traiecten. episcopo, viro pietate ac doctrina pariter insigni imbuendus literis traditus est. Apud hūc igitur ingenuus ac nobilis adolescens in omni artium ac pietatis genere apprimè ad pubertatis vsque annos instructus est. Poetarum praesertim Christianorum lectioe summopere semper delectatus est. Accersitus ad aulā sapiētiæ, & pietatis rara exēpla edidit, vt quasi omnium virtutum videretur esse idea. Defuncto apud Coloniā Archiepiscopo, Agrippinenses apud imperatorem pro fide li pastorem institere. Imperator cū fratris ingenium ad diuina

officia intentum, non obscure didicisset, ijs eum obtulit. Bruno vocationem hanc tanquam à Deo factam, submisit suscepti, & ipsi Colonien. summa animi gratitudine eum amplexi sūt. Vidit igitur hanc dietā, alios postulare mores, quare se totum ad religionem composuit. Tenuem ecclesiam nullo externo schemate ornata, sua vita pia, tum magnificentia plurimum illustrauit, qui ab Agapito Roma. Pont. confors Apostolorum ac propagator diuinorum preceptorum appellatus est. Omnem vitia luxum ac vestium molli-
 tiem execratus est, & suo exemplo alios ad hoc instigauit. Templum aliquot & monasterium d. Pantaleonis ex Castro condidit. Castrum Tutiense ob rebellionem & insignem pontem à Constantino Magno, Anno 310. constructum, demolitus est. Ottone Imp. extra Germaniā agente, huic fide-
 li fratri Imperij negotia cōmissa sunt, & hac ratione multa bella gerere coactus est: qui regi Franciæ aduersatus est, & ducem Lotharingiæ, ob latrocinia, compescuit. Mirandum sanè non erit, si sacerdotis & iudicis fuerit functus officio, cum d. Samuelem prophetam, & alios nonnullos Sa-
 cerdotes sanctos pariter legamus & Iudices. Baculum d. Petri ac eiusdem cathenas huc attulit. Ciuitatem Colon. ipse à tributis liberam reddidit. Cum esset in Francia, vi nepotes suos filios Lotharij disidentes componeret, correptus est febre, & cum diem vitæ suæ extremum sibi adesse videret, omnia sua bona Ecclesiæ Colon. assignauit, & Remis, vir summæ perfectionis, vitam hanc cum morte cōmutauit, et corpus eius per Theodoricum Remensem episcopum allatum est Coloniam, & in monasterio suo d. Pantaleonis honorificè tumulatum, cum præfuisset annis 12.

27 Valmarus Brunonis Archidiaconus, in regimine succedit.

sedit, verum non in ea Maestate excelluit. Praefuit sub Ot-
tone 2. annis 4. mortuus an. 965. Ducatus Lotharingia Ec-
clesia Coloniensi per Brunonem adiectus fuerat, verum sub
hoc, imperatore annuete, per regem Francia. subtractus est.

28. Gerofilus Marchionis Lusatia illustri familia Saxonia
ortus, singulari animi mansuetudine ac pietate anno do. 966.
praesse cepit. Hic vir Deo deuotissimus monasterium in
Glaidbach construxit. Esse desiit inter mortales anno 7. sua
presidentia, terra mandatus est in monasterio d. Petri Co-
lonie, quod modo est summum templum.

29. Valramus fuit Geronis religiosissimi praesulis Diaco-
nus, at plane insidus in Dominum suum. Ambijt Episcopatu
& obtinuit. Verum ductus penitidine de errore, Roman
profectus est, & ea ratione absolutus a summo pontifice,
aut nouum institueret monasterium, aut vetus aliquod in-
stauraret. Monasterium igitur d. Martini Colon. in insula
reparauit, & postquam sedisset annis 9. a morte in illud ter-
ra mandatus est.

30. Euengerus anno salutis 988. propter insignem probita-
tem & prudentiam, designatus est Episcopus, & annis 15.
fideliter praesuit, qui a fato in monasterio sancti Petri repo-
situs est.

31. S. Herebertus Vormatia ex Comitibus a Rodenbur-
go ad Tubarum natus In adolescencia vsus fuerat Gumper-
to praeceptore, viro doctissimo, qui postea factus est pontifex
Romanus, & Siluester 2. dictus. Assitus ad aulam Impera-
toris Ottonis 3. Caecellarij officio functus est prudentissime.
Cum autem Colonienses eum ambirent Archiepiscopum,
nil Imperatori gratius accidere potuit, qui in Herebertum
erat propensissimus. Contulit se vna cum pallio Coloniam,

& ab omnib. religiosissimè except^o est. Erat aded pacis flu-
 diosus, vt vulgò ab omnib. pacificus cognominaretur. Humi-
 litatè, virtutum reginam in omnib. suis negotijs assiduè co-
 luit. Fuit hic primus elector Imperij Colonien. quare cum
 suis Collegis d. Henricam Bauarum Casarem elegit. Impe-
 rator hic, licet valde pius, ob calumniantium morsus exitit
 in eum paululù inimicior, verùm agnita culpa & causa, eū
 postea loco parentis semper habuit. Tuitiensis cœnobij ipse
 vnà cum fratre autor fuit. Tandem laudatissimus Hereber-
 tus Nouesij correptus febrì, & per d. Heliam Abbatē Tui-
 tiensem, sacramentis ecclesiasticis initiatus est Colonia. Cū
 què iam moriturus esset, omnia sua, pauperibus & Ecclesia
 elargitus est, & cum frater eius indignè ferret, optimè illi
 consuluit: & cum de successore essent solliciti, ipse Diaconū
 suum Pilgrinum pronūciat. Cum verò annis 21. sanctissimè
 profuisset, ex huius mūdi pelago ad portū salutis enatauit,
 & in suum monasterium Tuitiense honorificè repositus est,
 anno 1021. 17 Calend. Aprilis, qui multis claruit miraculis.
 Sub hoc in Saxonia pridie natalis domini, viri 15. cū 18. mu-
 lieribus petulanter saltātes in Ecclesia S. Magni, ac cū di-
 uinū perturbarent officiū, à Sacerdote increpati sunt, & cū
 abstinere nollēt, eius imprecatione per integrū annū salta-
 runt. Quos tandē S. Herebertus absoluit, ex quibus non-
 nulli breui mortui sunt, nōnulli vitam correxerunt.

32. Pilgrinus Hereberti ac Imp. Hērici decreto ex hone-
 sto Sacerdote an. dō. 1021. in Archiepis. cōstituitur. Celebra-
 tur à multiplici doctrina, summa sapiētia et animi candore.
 Diocesim an. 15. prudētissimè administravit, ac basilicā SS.
 Apostolorū, quā S. Herebertus auspiciatus fuerat, & Colle-
 giū ipse feliciter consummauit, et cōgregationem 10. Cano-
 nicorū ibidē instituit, ac à morte in ipsum voluit sepeliri. Cō

fecerunt Conradum Sueuum Imperatorem Aquisgranum.

33. Hermanus 2. Palatinus Rheni Nobilis, eligitur in Archiep. vnanimi totius cleri ac populi consensu, sub Conrado Imp. praesuit prudentissimè ac vtilissimè an. 20. Huius tempore monasteriū virginū honestissimū, quod villa regia dicitur, instauratū est. Eius quoq; episcopi cōsanguinei, celeberrimū fundarunt Coenobiū Brauuiler, cui modò optimo regimine praesidet R. d. Andreas Mūsterus Abbas dignissimus, ordine 36. literatus, ac literatorū patronus singularis, sūmo mibi studio colendus.

34. S. Anno ex Saxonia de Dassele prepositus Goslariensis Hērici 3. Imp. cōmendatione concordib. totius Cleri suffragijs an. do. 1055. ad gubernationē euocatus est. Fuit Antistes iustus, aequiq; amantissimus, erga suos benignus ac placidiss. in pauperes liberalis, orator insignis, & in reb. bellicis exercitatus. Vnā duxit lōgē sanctissimā. Vacabat ieiunijs et orationibus assiduis, publica negotia sinē vllius personae respectu disponebat. Henricum 4. tū educauit, tum in Regem Rom. vnxit. Quinque religiosorum Collegia instituit: ad Gradus Mariae, diui Georgij, Sybergense, Grayschaff, & in Saleuel. Duorū Eualdorum martyrum corpora attulit Coloniā. Licet hic optimus vir de omnib. benè meruerit, cum Colon. tamen, quibus cum varias habuit cōtrouersias, minime cōuenire potuit. Ipse tamē maluit vindictam omnē Deo cōmittere, quā ob quorundam improbitatem Remp. perturbare. Memorabile sanè est, quod omnium Iudicum, Scabiorum, ob iniustā pronunciatam sententiā erui fecerit oculos, vni parcēs, qui ceteros domum reduceret. Vtinā eo modo talis Cābyses in iniustos Iudices animaduerteret, timeo sanè multorum pelli. Cum s. Anno praesul digniss. morti esset

vicinus, omnia sua pauperibus distribuit, ipse prolixi morbi molestia, Coloniae vita sine imposuit anno regiminis sui 21. maximo omnium luctu. Inde translatus, ut ipse voluit, in Syberch, monasterio suo, terra mandatus est.

35 Hildolphus Canonicus Goslariensis ac Henrici 4. Imper. Sacellanus, Archidiaconus d. Annonis, anno domini 1076. in successorem assumptus est. Praesuit annis 15. vtilissimè, ac summa cum laude ac virtute, ut verus Israelita, in quo dolus non fuit. Cum hanc lugubrem vitam amisisset, in d. Petri monasterio sepultus est.

36. Segeuinus Decanus Colon. qui iuxta d. Annonis praesagium, ut etiam antecessor, creatus est praesul. Praesuit annis 10. sub Henrico 4. anno domini 1089. decessit ex hoc calamitosissimo seculo ad beatarum animarum felix domicilium. Tunc temporis populus vna cum clero Episcopum eligere solebat, & penes Imperatorem conferendi Episcopalia insignia, summa potestas erat, quae inter Imperatores & Rom. Pontifices multa mala peperit, quae tamen Imperatoribus postea subtracta est.

37 Hermanus 3. Dines vulgò dictus, ex Saxonia, filius Comitis Northem, anno salutis 1089. Erat seuerus Episcopatus inspector & gubernator diligentiss. honestae conuersationis. Absente Imperatore Henrico 4. ipse Imperij Romani vices prudenter administravit. Completa vita mortalis suae periodo in regimine an. 10. mensibus 5. in Syberch monasterio sepelitur.

38 Fridericus primus marchio Foroiuliensis, anno domini 1112. vnanimi Canonicorum consensu electus, Hermano succedaneus fuit. Praesuit prudenter & vtilissimè annis 30. erat egregiè doctus, sapiemissimus, multiq; virtutibus

egre.

ARCHIEPISCOP. COLON.

38

egregijs conspicuus Princeps, pacis ac tranquillitatis studio-
 sissimus. Coloniae Lotharium vnâ cum coniuge sua Ri-
 sa vixit, in Imperatorem. Cum verò bello à Bauaris &
 Sueuis impeteretur, parua manu ingentem hostium exer-
 citum prope Andernacum strauit, & inde id ipsum muris
 ac turribus cinxit. Virginum cœnobium honestiss. in Insula
 Rulandi eo auctore initium habuit. Monasterium quoque
 veteris campi sub eo auspiciatū est. Mortuus est bonus Prin-
 cept in Voelkenburch, anno domini 1150. & in Syberch in
 domo capitulari tumulatus. Huius quoque tempore prin-
 cipium sumpserunt cœnobium Knechtsteden, & eiusdem ordinis
 Pramonstratensis Virginum in Dunuuall, ab altera parte
 Rheni religiosissimum.

39 Bruno 2. filius Adolphi, 2. Comitum de Altenae & de
 Monte, Praepositus S. Gereonis an. do. 1152. magis intrusus
 quam legitime assumptus. Fuerat alius, scilicet Godefri-
 dus Praepositus Xantensis electus, verum hic ob gratiâ Cae-
 saris admissus. Fuit vir non ineptus, verum morbo comitali
 laborabat. Mortuus est an. 6. Barra in Apulia ibiq; sepultus.

40 Hugo Decanus dñi Petri Coloniae, anno dom. 1158.
 in defuncti locum à Lothario Imperatore postulatatur, & à
 Capitulo electus, & inde Romae ab Innocentio 2. Pontifice
 Maximo consecratus, breui mortuus est, & ob breuitatem
 non computatur inter Archiepiscopos.

41 Arnoldus filius Comitum Geldriae, praepositus SS. Apосто-
 lorum sub Conrado 3. anno domini 1159. electus, qui tamē
 non admodum vtiliter praesuit. Per Eugenium 3. Pont. ob sy-
 moni im est excommunicatus, & anno 10. gubernationis mor-
 tuus, & apud S. Andream sepultus. Huius tempore cœ-
 pit cœnobium Hauerburna Pramonstratense.

42. Arnoldus de Altenae, Præpositus summi templi Coloniæ. Conradi Imp. Cancellarius, anno dom. 1169. assumptus est ad gubernaculum Ecclesiæ. Sequebantur tum temporis Episcopi ferè omnes castra Caesaris. Fuit hic vir omnino religiosus, iusti & equi studiosissimus, qui violentijs resistebat, & Ecclesiam defendebat. Annis quinq; eã laudabiliter rexit. Cum à facie iniquitatis tolleretur, in monasterium Virginie Nobilium in Rindorp, quod edificauit, sepultus est.

43. Fridericus 2. de Dassele præpositus S. Georgij an. do. 1174 post mortẽ Arnoldi, non quidem per legitimã Canonicoꝝ Senatus viã electus, sed mandato Friderici Imp. i. subrogatur, & ab Adriano 4. cõsecratur. Fuerat dominus Gerardus Præpositus Bomensis à Capitulo electus, qui cessit. Fuit tamẽ Fridericus vir admodũ religiosus. Cum autẽ biennio præfuisset, cum Imperatorem esset secutus, in aliena patria, Papiæ, natura debitum soluit, & relatus in hanc, in monasterio veteris montis sepultus est.

44. Reynaldus filius Comitiũ à Dassele ex Saxonia Imp. Friderici supremus Archigrammateus, vniformiter an. do. 1176. in Archiep. assumptus est. Caesari erat charissimus propter acumen ingenij, admirabilem facundiã et summã prudentiam, cũ summa etiam mansuetudine ac humanitate cõiunctam. Eo cum Casare in Italia agente, nonnulli Nobiles rebelles diocesis inuasere, quos tamẽ per d. Philippũ Heynbergiũ Decanũ prudenter cõpescuit. Cum Imp. Mediolano potitus esset, Archiepiscopus trium Regũ præciosissimã pignora & duorum martyrum Naboris & Felicis impetrauit, & carissimẽ Coloniã transferri curauit an. salutis, 1178. & cum ijs ipsis reliquijs pridie d. Iacobi ad suam Ecclesiã venit. Is idem quoq; Reuerendiss. ex Italia SS. Martiriorum reliquiã trãstulit Coloniã. Multa præclara fa-

in ora hic Princeps immortalis dignus memoria, siue foris, siue domi, belli togæq; tempore, gessit. Tandem in Lombardia valida febre correptus, diem clausit exitum, & inde translatus Coloniæ, in summo templo honorifice collocatus est. Præfuit summa cum laude & utilitate annis 22.

45. Philippus Comes de Heynsberch Decanus summae adis Col. ac Imp. Cancellarius, canonicè ac legitime electus, vir sapiens, audax, ac virtute insigni præditus an. do. 1189. sub Frederico ac Henrico 6. eius filio, quæ patris voluntate in Regem Rom. vixit. Huic Philippo Fridericus Imp. I. tunc ob suam probitatem & singularia merita, tunc ob antecessoris sui summam fidelitatem, duos Ducatus Vnesiphalia, & Angaria in celebri Principum ac optimarum Convictu apud Geylbusen contulit, & eum solitis ceremoniis instituit. Philippus traditam spartam egregiè per triennium contra Henricum Saxoniam ducem Imp. rebellè, vindicavit, et Ecclesia Coloniensis præsulibus, quietam reliquit possessionem. Cùm ipsa metropolis Colonia multis impeteretur insidijs, hic clariss. Princeps eam validissimo muro an. do. 1196. cinxit, multa includens Collegia ac templa. Hostes suos egregiè præstravit: & semper de ijs victoriam retulit. Fuerunt hi duo Principes Reynaldus & Philippus tanquam duo ferrea columna per ecclesiam Colon. sub eo initium caput monasterium Heysterbach, Ordinis Cisterciensium. Cùm ageret Neapolis pontificatus sui an. 30. adijt solem, occasum nesciètem, ac ossa Coloniæ allata, ac in summo templo haud procul à Sacello trium Regum honorifice tumulata sunt.

46. Bruno 3. de Altenae præpositus summi templi, vir prorsus religiosus & aetate venerabilis sub Henrico 6. annis 3. præfuit. Fuerat alius, Lotharius, Rönensis Canonici, à nobilitate laicorum electus, quæ a verò Bruno ab Ecclesiasticis fuit creatus, obtinuit. Ipse autem sui Præsulatus tertio an. se magistrum

tu abdicauit & consentiente Clero Adolpho fratri resignauit. inde vitā solitariā in cōnubio veteris Montis amplexus est. Monasteriū illud auspiciatum est an. dom. circiter 1126. in quo duces Montenses sua habent reconditoria. Bruno cū ad episcopatum à suis electus esset, d. Bernardum, vtrum munus episcopale assumere deberet, consuluit, quid autem responderit vide apud eundem epistola 8. & 9.

47. Adolphus 3. de Altenae, Praepositus maioris Ecclesiae, praedicti frater anno domini 1199. succedaneus fuit. Sub isto ob diuersorum duorum Imperatorum electionem, prouincia Coloniens. non mediocria passa est incommoda.

Quod autem hic huius mali author videbatur, vir non malus, ab officio an. do. 1205. ab Innocentio 3. publicè per Syfridum Moguntinum, amotus est anno 12. suae praesidentiae. Circa haec tempora duo illa luminaria d. Franciscus, & d. Dominicus in Ecclesia Dei florere, F. Minores Coloniae locū acceperunt circa annum dom. 1220. sub sancto Engelberto Archiepiscopo.

48. Bruno 4. de Seyn praepositus Bonnensis in depositi locum vniuersi consilio creatus est, & per Syfridum sub Innocentio 3. consecratus. Innoatio hac & duo simul electi Imperatores, Philippus & Otto, Coloniensi diocesi magna peperit mala Nouesium Philippus obsedit, & eo petitus, in manus Adolphi tradidit. Bruno cum partes Ottonis defenderet, à Philippo captus est, & duobus interuenientibus Cardinalibus tandem post annum liberatus. Cum autem Roma, Pontificis onustus literis, rediret, & à Coloniensibus honestè exceptus esset, breui an. do. 1218. cum tribus annis turbulentis praefuisset, mortuus est & sepultus in d. Petri Ecclesia.

49. Theodoricus Comes de Monte, Præpositus SS. Aposto-
lorū, ope Ottonis 4. Imperatoris, occiso Philippo, succedit,
tum vnanimi Cleri consensu electus. Initio sui præsulatus
admodum se benignum exhibuit, verū quod mores mu-
tasset, & insolita imperasset vectigalia, multis inuisus red-
ditus est. Adhæsit excommunicato Ottoni, & cum excom-
municatus non curaret, per Syfridum Moguntinum itidem
loco mouetur, cum annis 6 præfuisset. Construxit ex Iu-
dæi cuiusdam vsurarij ære, arcem siue castrum Gudesbur-
giū. Altitus est prouincia redditib. & à morte in cœnobio Ve-
teris montis apud suos consanguineos sepultus.

50. S. Engelbertus de Monte, ob egregiam suam pro-
bitatem ex Præposito maioris adis in Archiepiscopū, licet re-
luctaretur à suis Collegis vniformiter anno domini. 1221. e-
lectus est. Erat princeps omnino nō superbus, sed humilis, mi-
tis, placidus, omnibus benignus, omnibus Principibus honora-
bilis, qui Episcopatum confusum in bonum statū & pacem
restituit. Colonia eo illustriorem præfulem (excepto primo
Brunone) non habuit. Fridericus 2. Imp. cum de huius viri
virtute audisset, regni negotia citra Alpes huic cōmisit, & fi-
lij sui Henri. i. tutorē deputauit. Inde Engelbertus Princi-
pū suffragijs Aquisgrani eum in Regem Romanorū conse-
cravit. Enutriuit vt filiū, et honorauit vt Dominū. Verū
optimus princeps cum annis 10. laudabiliter et vtilissimè præ-
fuisset, à Friderico Isenburgensi, fratris filio, quem, quod Ec-
clesiastica præter professionem suam vsurparet bona, excō-
municauerat, per insidias adorsus, ac iuxta pagū, qui Svuel-
me dicitur, miserè 28. vulneribus, interemptus est. Delatus
est Coloniā, & in summo templo in capella d. Catharina,
inagno omnium mœrore honorificè sepultus est, qui multis
olim

olim claruit miraculis. Verum cades hæc Comiti & omnibus, qui iniusta consenserunt neci, ad perpetuam cessit ignominiam. Comes Colonia extremo affectus est supplicio. Sub hoc Archiepiscopo multa fundata sunt monasteria.

51. Henricus de domo nobilium Mollenarcken, Præpositus Bonnaensis vniformi omnium consensu creatus est Archiepiscopus Colon. anno do. 1231. sub Friderico 7. & à Coloniensibus summo cum honore exceptus. Erat vir eximia prudentia præditus, & Engelberti iniustam mortem egregie vindicauit. Cum præfuisset annis 12. laudabiliter ex hac vita an. gratiæ 1243. decessit. Tum potestas eligendi & cõstituendi Episcopos Imperatoribus (qua hæctenus apud ipsos manserat) subtracta ac cuiusq; Episcopatus Canonico-
rum Senatui à Romano Pontifice concessa fuit.

52. Conradus natione de Hosteden, Præpositus summa adis, à toto vniformiter consentiente Clero in Archiepiscopum an. do. 1243. eligitur, vir literatus, facundus et magnanimus, bellator strenuus, ac tanto honore dignissimus. Sedit in cathedra episcopali annis 34. Obtinuit vt Elector Colon. Imperatorem nouiter electum Aquisgran coronet primū, quum antea inter Electores disceptatio semper de coronatione non minima fuerat. Quare ipse elegit & consecrauit tres Imperatores. Ecclesiam suam prædictis amplius plurimū sublimauit, qui eius priuilegia strenuè defendit. Comitatum suum Hosteden, quem iure paterno obtinuit, Ecclesie cum multis alijs Castris assignauit Bonniam, foueis aqua probe instructis anno Christi 1248. exornauit. Colonienses subegit, & plenum in eos Imperium habuit. Cum præsul esset locupletissimus, et oblationes ob sanctiss. Magorum reliquias essent ferè inexhausta in fine vite sue auspici-

atus est Summum templum, quod si perfectum fuisset, in orbe simile non conspiceretur opus. Tandem apud d. Gereonem obiit, & in noua basilica sepultus est. Fuit summus fautor religiosorum, praesertim Franciscanorum, sub quo quatuor Ordines Mendicantium Colonia emerferunt.

53. Engelbertus 2. de domo nobilium de Valkenburch, Praepositus S. Gereonis anno dno. 1264. concorditer ab vniuerso Clero eligitur. Colonia religiosissime inauguratus est, & oēs sibi de hoc Principe benè polliciti sunt, ut iugum paululum subleuaretur, verum pro thesauro carbones. Vbi in principum aulis Gnathones locum obtinere, iustitia sanè exulat pariterque pietas. Ecclesia iniuriā crebrius conatus est propulsare, verum fortuna illi nouerca fuit. Commisit propè Tulpetum bellum cum Regulo Iuliacensi, vbi ipse interceptus est, & per annos aliquot in castro Nitecken, satis duriter asseruatus. Post multas tandem actiones liberatus est. Inde cum Colonia pro tribunali sedisset, per ciues captus est, & in domo quadam occultè per dies aliquot detentus. Ob hanc Pontifici illatā iniuriā, tum ipsius consanguinei ac amici potentes, exasperati sunt in ciuitatem, & eam multis cuniculis adoriri conati sunt, tum summus Pontifex eam excommunicauit. In hoc belli tumultu Sanctorum protectio Coloniensibus affuit. Si autem bonus hic Praesul Conradus Praedecessoris sui consilio obsecutus fuisset, nunquam tantā cladem expertus fuisset. Tandem rebus suis dispositis, Bonnae Pontificatus sui anno 14. in fata concessit, et in monasterio S. Casij propter interdictum in Coloniens. sepultus est.

54. Syfridus de domo nobilium à Vvestenburch, Praepositus Mogunimus anno gratiae. 1278. Archiepiscopus Coloniens factus est. Hic omnem ferè aetatem suam varijs
vellerum

bellorū exercitijs continuerat, quare frigoris algorisq, erat
 patientissimus. Erat sanè talis honoris & fama præconio
 non indignus. Statim post ad Ecclesiam promotionem, mul-
 ti in eum Principes insurgunt, qui prouinciam igni & gla-
 di o inuadere ac demoliri nisi sunt. Verùm vir fortis egregiè
 illis obuiauit & vicem rependit. Comitatum Iuliacensem
 subegit. Montensem quoque Subregulum parere docuit.
 Fuit illi & cum Brabantia duce bellum. Dum Ecclesia pri-
 uilegia defenderet, nullis neque laboribus neque sumptibus
 pepercit. Habuit hic bellū illud Voringense anno do. 1288.
 vbi de clauium potestate decertatum est, non Spiritualium.
 Fuit autē Episcopo bellum illud satis infaustū, & prouincia
 sua perniciosum. Episcopus à septennali custodia liberatus,
 Montensem Comitem postea incautè interceptit, et talionē,
 licet omnia, quæ extorserat Comes, promitteret, egregiè
 reddidit. Comes muscarum aculeis miserè interiit. Con-
 struxit hic Episcopus Brulense castrum & arcem Sontinā.
 Adolphum Anaxouium cum vxore sua Aquisgrani corona-
 uit. Cum rebus variè annis 24. præfuisset, valedixit morta-
 lium conuersationi, anno do. 1298. qui Bonnæ sepulturam
 consecutus est. Huius tempore Monasterium in Eyflia ce-
 leberrimum Steinfeldense cœpit, cuius Ecclesiam dedica-
 uit. Fuit Comes Theodoricus de Are, vir pietate insignis,
 qui duo Cœnobia eiusdem Ordinis Steinfeldense, & infra
 Nouestum Virginum nobilium, quod Mebr dicitur, in quo
 & vixit & sepultus, in quo & sororem suā Abbatissam con-
 stituit, fundauit.

55. Vvicholdus Baro de familia ab Holte Vestphalus,
 Decanus Colon. & Præpositus Aquisgranensis, ob insti-
 guem prudentiam & summam eruditionem anno domi-

in 1298. magis tamen factione Nobilium, quàm Canonica
 ad Episcopatum, Nussia constitutus est. Fuit vir doctus, pru-
 dens ac etate prouectus, qui plus rebus sacris, quàm bellicis
 operam dabat. Superiores sui Ecclesiam mirum in modum
 funestis bellis perturbauerant, bonus autem hic pater sua
 effecit virtute, vt apud omnes vicinos Principes benè audi-
 ret, et Metropolim ab excommunicatione absoluit, & om-
 nia in tranquillum statum & ordinem redegit. Oppida &
 arces oppignoratas recuperauit. Erat autem & pacis ob-
 seruantissimus. Cum verò nonnulli eius experiri vellent vi-
 res, egregiè cōtudit. Demum cum annis 7. laudabiliter &
 vtilissimè prafuisset, correptus infirmitate, Christi mystico
 corpore & sanguine, saluberrimo viatico munitus; ex hac
 lachrymarū valle Princeps optimus migravit, & Susati in
 tēplo d. Patrocli martyris repositus. Eius tempore monaste-
 rium. Hortus Virginis Mariae Coloniae auspiciū habuit.

56. Henricus 2. Comes de Virnenburch, Praepositus Co-
 lon. Electio inter Capitulariū Senatū facta est diuersa: tres
 siquidem simul sunt creati, V Vilhelmus Comes Iuliacēsis,
 Praepositus Traiectēsis: hic confirmationē per Bonifaciū 8.
 obtinuit, verum quòd in bello Flandrico, vbi Francorū regis
 nomine Tribunalium militum agebat, cecidisset, non percepit.
 Inde alij duo Reinhardus Vvesterburchius, & hic, profecti
 Romam, Henricus à Nicolao Pont. 4. quo cum olim Ro-
 ma vixit, confirmationem adeptus est. Praefuit annis 26. et
 licet multis bellis implicitus fuerit, Ecclesia tamen optimè
 prospexit. Oppida & arces aut edificauit, aut oppignorata
 redemit. Castrum Hulkeroidae cum omnibus suis attinen-
 tijs addidit prouincia. Elegit & consecrauit Fridericum
 Austrium Bonna, qui tamen, Deo fortunante Ludouicum

simul electum, non permansit Imperator. Fuit Sacerdotum qui Castitatem perpetuam voverunt, impuri concubinatus summus os et acerrimus vindex. Tandem providus Oeconomus plenus dierum, viam uniuersa carnis anno salutis 1331. ingressus est, & Bonne in Sacello d. Barbara, quod monasterio contiguum adificauit, sepultus est. Huius tempore Templariorum ordo interijt, & eius quoque seculo Coenobium Regularium, quod ad corpus Christi dicitur, Coloniae initium habuit. Item monasterium diuina Clara apud Coloniae, cuius Ecclesiam ipse dedicauit. Item fratres Cruciferi.

57. Valramus filius Gerardi Comitis Iuliacensis, Praepositus Leodiensis, Thesaurarius Coloniae sub Carolo 4. Pontifex Romanus Ioannes 22 posthabita electione Capitularium in Adolphum Leodiensem episcopum, hunc proposuit. Qui inde consentientes uniuersimiter et perbenigne eum amplexi sunt. Erat egregie nobilis, & sua humanitate omnium animos conciliauit. Aetatem suam liberalibus studiis Parisiis contriuerat, admotus autem ad Ecclesiae gubernationem, se virum longe exercitatisimum et utilissimum ostendit. Ob generis claritatem nemo ei bellum inferre audebat, quare in summa tranquillitate annis 16. rexit. Fuit staturae corporis mediocri, neminem ad vindictam expetens, pius in pauperes, non grauans exactionibus, patriam rebus necessarijs opulentiam reliquit. Habuit fratrem Ioannem Comitem Iuliacensem, cum quo illi non bene conuenit, quare eo inuito, Castrum Lebernich, Ecclesiae Coloniae, fulcrimentum, cum ille Nitechen erexisset, construxit. Alia castra multa ecclesiae adiecit. Monasterium Carthusianorum Coloniae fundauit & dotauit anno domini 1338. Bonne Minorum coenobium exorsus est. Carolum 4. contra Ludouicum

ARCHIEPISCOP. COLON.

35

excommunicatum in Regem Romanorum elegit & Bonne coronauit. Hac occasione bonus Princeps nonnullos sibi insidiari sensit, qui maluit eorum improbitati & violentia cedere. Secessit in Franciam & Ecclesia regimen personis Laicis commisit, quae commutatio non mediocria & sibi & prouincia mala peperit. Quod personis leuibus sua commiserit consilia, à quibusdam taxatur. Diem clausit extremum Parisijs anno domini 1349. & aduectus Coloniã, honorifica sepultura in summo templo per successore[m] donatus est.

Anno domini 1352. ex illustribus Canonicis duo intercepti sunt, scilicet D. Reynardus de Sphaynheim, et D. Ernestus de Molenarcken, & à diuinis multis dieb. cessatum est. 58. V Vilhelmus de domo Nobilium de Genepe oriundus, Canonicus Coloniensis, Praepositus Susatensis, ad instantiam summi Capituli ac nobilitatis licet inuitus, ad Archiepiscopatum inductus est anno domini 1350. & per Clementem 6. confirmatus. Fuerat superiori admodum familiaris, dioeceseos negotia ei benè p[er]specta erant, quare eo comodius praesse potuit. Fuit pacis publicae obseruantiss. et iniurias sibi illatas prudenter nouit dissimulare, et hoc pacto de omnibus Principibus benè mereri studuit. Ob rerum dexteritatem summa erat apud Imperatorem & regem Francia auctoritatis. Pro Ecclesiae reformatione & vitiorum extirpatione praenimio zelo, seipsum viribus extenuauit. Accessit et illud mali, quod Andernacenses insurgerent, ac castrum apud eos conati sint demoliri. Quo magis corporis infirmitas oberat, eo vehementius isti instuere. In omnibus malis, inuictum semper animum obtinere visus est. Licet in omnibus suis actionibus admodum fuerit gloriosus, verum

in tanta omnium rerum abundantia ac splendore, quod ex actionibus fuerit grauis & cupiditatis labe corruptus, Philargyria vitio taxatus est. Cum iam ex febre mortem vicinam esse sentiret, ministris Ecclesie & amicis suis magnam pecuniam elargitus est. In eo rerum articulo, de ecclesie statu ac salute, non parum agebatur. Aduocatis igitur Consiliarijs, quem sibi succedere peroptaret, declarauit. Voluit ut Praepositus maioris Ecclesie, curiam Roma. adiret, & ut promptior esset, ingentem nummorum vim illi numerari iussit. Verum hic accepta illa pecunia, quae spondit, & quae D. V. Vilhelmus exoptauerat, minimè est executus. Tandem ingrauescente morbo, D. V. Vilhelmus vite huius usuram anno domini. 1362. amisit, et Colonia in summo templo per magnificè est sepultus. Erat statura procerus, corpore & aspectu pulcher, eloquens, prudens, hospitalis, habitu magnam praese ferens grauitatem. Reliquit Episcopatum omnibus rebus necessarijs, vino & frumento refertissimum, quae omnia post mortem eius, breuiter ita absumpta sunt, ut quasi prorsus nihil reliquisset, appareret: Tenax requirit prodigum. Vacauit inde sedes menses decem.

59. Ioannes à Virnenburch summae adis Decanus. Quia ut dictum est, Praepositus maioris templi, què D. V. Vilhelmus moriens designauerat successorem, expectationem illius fefellit, Capitulares in tantis rerum motibus consternati, electionem distulerunt: Tandem conuenientes & suffragijs dissidentes, Laicorum votis Ioannes hic à Virneburgh conclamatus est Archiepiscopus. Huic violenta acclamationi, nonnulli ex Capitularium Senatu se opposuerunt, nonnulli consenserunt. Profectus est igitur pro confirmatione Romam, & à Pontifice, quem res hac non latuit, repulsam passus.

Reuer^a

Reuersus ergo, Episcopatum inuasit, bona relictâ pro sua libidine expendit, & se non pastorem fidelem, sed lemargum ostendit. A quibusdam inter Archipresules non recensetur. Interim Summus Pontifex, cum omnia in sua essent manu, quem præficeret, deliberat.

60. Adolphus 2. Comes de Marca, quum Monasteriensem Episcopatum per quinquennium administrasset, ad Coloniensem per Urbanum 5. designatus est. Promotionem hanc ipse nequaquam desiderauerat, nec Capitulum eum postulauerat. Adolphus autem animum ad diuina officia nunquam adijcere cogitauerat. Cum itaq; mensibus decem parum uiliter præfuisset, resignato Pontificatu, cessit. Qui postea ducta uxore, Cliuensium Comes ultimus factus est.

61. Engelbertus 3. Comes Marchianus, Episcopus Leodiensis. Hic per Pontificem Romanum, ne quid eius deesset uoluntati, ad Ecclesiam Coloniensem appulsus est. Paruit libens R. Pater, qui tamen in sua maluisset permanere sede. Erat quidem non malus vir, qui Leodiensi Ecclesia per 20. annos suis laudabiliter præfuit, uerum huic ob senium et ob tantas turbas parum prodesse potuit. Sensit quorundam rebellionem, quorum ipse maligna consilia prudenter dissoluit. Tandem totius Cappituli consensu, quod iam aduersa laboraret uoletudine, D. Cononem à Valckenstein coadiutorem assumpsit. Ipse Brulis solitaria ac quiete uitæ uacans, post longas morborum fatigationes anno Christi 1208. præsulatus sui 5. defunctus est, & in summo templo Colonia honorificè sepultus.

62. Cono à Valckenstein, Archiepiscopus Treuerensis, consensu Capituli in Coadiutorem anno do. 1368. assumptus est. Erat hic Princeps pietate ac animi dexteritate eximia præditus.

praditus. Praefuit duabus amplissimis prouincijs, quas summa cum laude ac utilitate rexit. Erat Coloniensis Ecclesia graui ere alieno pragrauata, quam ille liberam breui tempore reddidit. Andernacenses qui sub VVilhelmo Genepeo insurrexerant, compescuit, sed & pro muro se omnibus hostibus opposuit. Ecclesiasticum statum corruptum non parū sua vigilātia restituit. Sub isto exitialis quaedā simulatio Col. in Clerum & Ciues ob insolita vecligalia exorta est, cum anathematis vinculum Rectores Reip. non curarent, ciuitatem Clerus reliquit, inde Gubernatores ad cor redeunte intercedente D. Conone post sesquiannum eos reuocauerunt. Cum autem annis 3. summa cum laude pariq; utilitate vtrique diœcesi praefuisset, resignato cum gratiarum actione Coloniensi Archiepiscopatu cessit, & ut suus Nepos Fridericus substitueretur, à Capitulo obtinuit. Demum ipse à morte Confluentia sepultus est. Eo tempore Comes Arnsburgius Gonfridus vnā cum sua coniuge de domo Cliuensi, cum masculum heredem non haberent, Con. itatum suum cum omnibus attinentijs Ecclesie Coloniensi assignauit, & Comes à morte Colonia in summo templo tumulatus est, erecta supra tumulum ferrea crate.

63. Fridericus 3. Comes Saruuerdensis, instantia sui consanguinei D. Cononis, à Capitularibus in Archiepiscopum Coloniensem. anno domini 1370. legitime assumptus est. Erat quidem iuuenis etate, verum doctus, sapiens & legum Imperialium peritia clarus, ac morum maturitate plurimum pollens. Olim Bononia cum Urbano 4. Pontifice studijs vacauerat, & eo facilius ab eodem confirmationem obtinuit. Carolo 4. Imperatori non admodum promotio huius placuit, qui consanguineum suum Episcopum Argentinensem ad hanc

ad hanc Ecclesiam malisset promovum. Fuit Fridericus bonus & circumspectus Oeconomus. Tres ordine Imperatores elegit & consecrauit, VVenceslaum, Ropertum & Sigismundum. Incidit inter eum & Metropolim similtas, qua satis fuit diuturna & exitialis. Tandem Princeps laudatissimus cum annis 44. cum omni laude & emolumento profuisset, Bonna ab hijs Babylonij's fluminibus ad aeterna salutis portum anno dominice incarnationis. 1414. ambulavit, & Colonia in summo templo iuxta D. Reynaldum honorifice terra, communi mortalium receptrici mandatus est. Missam quotidie de beata Virgine cantari in summo instituit. Huius tempore Puer de innocensibus, quos Herodes (teste Euangelista) ob Christum interfecit, Venetijs a fratribus Minoribus Colonia ad eiusdem ordinis fratres transmissus est sub annum dom. 1384. Eodem igitur tempore Archiep. Colon. Fridericus sua autoritate reliquias Innocentis, qua apud Minores Colonia in magna conseruantur reuerentia, tanquam veras ac legitimas, confirmavit & privilegij ac indulgentijs, qui eas visitarint ac venerati fuerint, profecutus est. Anno domini 1400. in paracia SS. Apostolorum grassante Colonia peste, contigit, ut mulier quadam praedives, ad tumulum, ut putabatur, mortua, efferreretur ac sepeliretur. Vespillo cum nocte venisset ad detrahendum in digito relictum annulum, retrahente illa, relictis omnibus aufugit, arripuit illa lucernam & suam repetijt domum, & mirantibus cunctis, a marito tandem agnita ac suscepta est. Qua inde trium filiorum facta est mater. Academia Coloniensis. anno dom. 1388. auspiciata est, a Senatu ampliss.

64. Theodericus Comes a Moers, Praepositus Bonnenfis eligitur anno domini 1414. a maiori Senatus Ca.

pitularium parte. Verum alter cum eo electus VVilhelmus
 Montensis, Episcopus Paderbornensis, huius Nepte sponsa
 contentus, episcopatu suo cedit. Dederat Theodoricus operã
 literis Bononia, & iuris Pontificij magnam eruditionem
 adeptus est. Erat corpore pulchro & supra omnem statu-
 ram eminenti, animo permagno & liberali. Etsi plurima
 pro defensione Ecclesia sua bella gesserit, nunquam tamen
 domi sacerdotali amonia et ciuilem administrationem ne-
 glexit. Albertum & Fridericum Aquisgrani in Imperato-
 res coronauit. Monasteria aliquot, quæ à primaua institu-
 tionis suæ vigore defecerant, reformauit, & ordinem S. Bi-
 gida in suam diœcesim induxit. Processionem illam celeberrimam,
 qua feria 6. post Octauam Pasche Colonia fit, insti-
 tuit. Coloniã insigni pompa equestri ingressus est, & inau-
 guratus omnium congratulatione anno do. 1418. Cum esset
 electus in Paderbornensem Episcopum, eam Metropolim in
 maxima tempestate ingreditur anno 1415. Cumquæ exa-
 ctiones grauissimas per prouinciam imperasset, subditarum
 exasperauit animos. Inde Susatenses ab Archiepiscopatu se
 subduxerunt, quos ne bello quidem comescere seu reduce-
 re potuit. Præfuit Coloniensi & Halbertatensi Ecclesijs an-
 nis 48. Paderbornensi 38. Obijt in die S. Valentini in arce
 Sontina anno gratia per Christum reparata 1463. qui tam
 varia attētauerat, homo planè Polypragmonicus. Eius mor-
 tem tempestas validissima excepit. Colonia in summa eade
 honorificentissimè tumultus est. Huius tempore Casaris
 VVerdena vnã cum suis atinentijs cedit Episcopatu Coloni-
 en. & licet sæpius repetita fuerit à Cliuensibus, ad hunc
 vsque diem obtinere non potuerunt.

65. Ropertus dux Bauariae legitur concordibus totius Ca-

nonicorum ac Nobilitatis Senatus suffragijs an. do. 1463. Erat generis animiq; ac ingenij virtute ac nobilitate clarissimus. Diocesin suam oppignoratã ære alieno et penè oppressam, liberare constituit. Erãt tunc aurea tempora, et omnia, quæ ad hominum vsum spectant, facillimo ære redimi poterant. Nec video ea reditura vnquam ob hominum nequitiam. Cum Archiepiscopus cum suis Capitularibus summi templi simulatas exercere cœpisset, & animus illius nullo modo emolliri potuisset, seminarium fuit ingenium malorũ. Capitulares sibi prospiciunt, & D. Hermanum Lätgraviũ Hassia, virum imprimis nobilem & strenuum Gubernatorem totius prouinciæ contra Rupertum constituunt. Rupertus autẽ a suis partibus habuit Carolum Ducem Burgundie, virum opibus & bellis clarissimũ, qui grauissimè cõminatus est Coloniensibus, vt suo Episcopo parerẽt. Verũ cum præter ius suum ageret, et illi negligerent, ingentem exercitum in diocesin induxit, & Nouesium grauissima obsidione per annum ferè obsedit, & eos ad magnam inopiam redegit. Hic autem D. Hermanus ciuibus summa fide affuit, tum & Coloniensium fidelem operam experti sunt. Imperator quoque Fridericus rei improbitate motus, collecto exercitu Nouesians subuenire cogitauit, & rex Francia, Ludouicus xi. Ducis fines vehementer molestauit. Coactus est igitur non minore damno, quàm dedecore obsidionẽ soluere, anno do. 1475. qui tãdem prope Nansen bello victus, occisus est, anno do. 1477. Eius epitaphium talẽ legitur.

Te piguit pacis, tãdũt quẽ quietis in vita:

Hic iaces Carole, tam quẽ quiesce tibi.

Rupertus paulatim prorsus destitutus est, & Hermano prouincia tota cesserit. Ruperto satis honesta assignata erat su-

Stentatio, qua cum non esset contentus, in superiori Germania exulauit, et ab Henrici Langrauij seruis interceptus, & per biennium in captiuitate detentus ac mortuus. Bonae corporis eius in monasterio diui Casij sepultum est. Praesuit Variè annis 16.

His temporibus ob Caroli metum, qui ingenti clade Leodienses affecerat, duo Virginum monasteria, in ciuitatem translata sunt. Vnum ad S. Ceciliam, alterum verò ad S. Aprum. His quoque temporibus duo Carthusianorum coenobia initium habuere per ducem Iuliacensem. Vnum propè Iuliacum, alterum propè Vvesaliam

66. Hermanus Langrauius Hasia 4. Praepositus Aquisgranensis & S. Gereonis, in Archiepiscopum Coloniens. anno domini 1480. altera D. Laurentij concordibus totius Capituli sententij eligitur, quum antea Gubernator provinciae fuisset. Egregie erat doctus, sapientissimus, multisque virtutibus egregijs conspicuus Princeps, pacis ac tranquillitatis publicae studiosissimus, mitis. Fuit hic de prosapia S. Elizabeth Reginae. Cum ipsa ciuitate Colon. semper vixit amicissimè. Colonia anno domini 1489. splendidissimè inauguratus est, eodem quoque anno in Paderbornensem Administratorem assumptus. Dissidentes vicinos Principes ipse ad vnitatem ac concordiam summo studio redigere semper intentus fuit. Maximilianum in Regem Romanorum anno domini 1492. elegit & Aquisgrani consecrauit, apud quem postea semper vixit familiaris. Hic Caesar Comitibus cum multis Principibus Coloniae egit anno domini 1505. Licet suos habuerit suffraganeos D. Ioannem Marburgensem, & inde D. Henricum ab Vnckel, Theologos de Ordine Minorum, Ordines tamen sacros ipsemet sapius contulit.

Erat & præter alias virtutes benignitate ac liberalitate ornatus in pauperes, adeo vt nullū mendicū à se vacuū discere sit passus. Ea virtus maximè decet ecclesiasticos Principes, dispensatores diuinarum facultatū. Præfuit admodū pacificè ac tranquille (qui ob id Pacificus cognominatur,) ad annum Christi 1508. cuius anni 27. Nouemb. huic mortali vitæ exemptus est, cum præfuisset annis 28. Sepelitur Colonia cum omnium suorum subditorum incomparabili luctu in summo templo magnificè. Hoc autore Cœnobium d. Francisci Brulis fundatum est, ac sub eo Colonia Collegiū prostitutarum pœnitentium instar Luterie, quod Colonia in pixide dicitur. Anno dom. 1513. maxima ciuium Colonia seditio contra Senatū suborta est. Vide alibi.

67. Philippus de Dhuyn, Comes de Oberstein, Decanus Colonien. omni genere optimarum virtutum illustris eligitur vnanimi consensu Canonicorum totius summi Collegij Senatus, superiore ad alteram vitam euocato anno domini 1508. Hic egregius Princeps insigni sua prudentia ac industria plurimum Ecclesiæ Coloniensi contulit. Conspirauerant nonnulli Nobiles in eum, at ille eorum conatus prudenter elusit. Fuit vir summa prudentia ac humanitate præditus. In construendis castris ac aedibus sacris reparandis, eius vbiq; videre est diligentia. Anno do. 1515. mortem appetit vir sanè longiori vita dignus. Mortuus est in Castro Popelstorp, et delatus Coloniæ in summo templo iuxta D. Hermanum de Hassia antecessorem, multorū mœrore sepultus.

68. Hermanus J. Comes à VVeda, assumptus an. do. 1515. in Archiepiscopū, confirmatur à Leone 10. Pont. Max. inauguratur Colonia humanissimè an. 1518. Postulatur et eligitur vnanimi consensu totius Capituli in Administratorem

Paderbornensem anno domini 1532. Erat Princeps pacis
 studio, clementia & multis alijs virtutibus præclaris præci-
 pue ornatus, natura vir bonus, liberalis, in literarum studijs
 ob præceptorum negligentiam non ita versatus. Diocesim
 summa prudentia & tranquillitate gubernauit: exactiones
 nunquam præter solitas, exegit: & ob eam causam plurimùm
 à subditis amatus est, qui patris loco ab ijs habitus. Princi-
 pes vicinos aliquo modo dissidentes ad concordiam redige-
 re & sibi conciliare studuit. Venationum tamen quam Ec-
 clesiasticarum caeremoniarum studiosior fuit. Multa castel-
 la tum redemit, tum pulcherrimis aedificijs reparauit. Car-
 lum 5. & Ferdinandum in Reges ac Imperatores Roma-
 nos elegit & coronauit. Verùm cum tranquillè rebus annis
 32. laudabiliter præfuisset, & Lutherana hæresis in superio-
 ri Germania grassaretur, tum homines sua obliti salutis, in-
 stabiles, qui & doctrinis varijs ac peregrinis facillè acquie-
 scunt, inconsultò eam amplecterentur, huic quoque hereti-
 corum astu ac fraude adlubescere capit: sic bonus Princeps à
 Catholica religione in fædos errores traductus est. Nec mi-
 rum sanè eum potuisse facillè à Lutheranis & Buceranis cir-
 cumscribi commentis, cum rationem reddiderimus. Cumq;
 crebrius adhortaretur aut desistere, aut Lutheranos Con-
 cionatores (Bucerus apostata Bonnæ classicum agebat) pel-
 lere, prorsus non acquieuit. Cum verò nulla ratione posset à
 sententia inuehendi in suas ditiones Lutheranismi deduci,
 iussu Pontificis Romani Clementis 7. & Caroli 5. Impera-
 toris, loco mouetur, & biennio priuatim in Comitatu VVe-
 densi superstes vixit. Mortuus est anno domini 1552. 15.
 Augusti, ætatis suæ anno 80. & Biuerni in Villa sepultus in
 Comitatu Vvedensi. Habuit suffraganeum D. Quirinum
 à Vi.

à Vilich, qui obiit anno domini 1537. inde D. Ioannem Nopelium, virum eruditione & pietate insignem, qui obiit anno 1556. qui sepultus est in summo templo apud illustres. 69. Adolphus 3. Comes ex illustri & perantiqua familia à Schavvuenburch, Prapostitus Cathedralis Leodiensis Ecclesia, concordibus totius Capituli suffragijs, cum annis aliquot Coadiutor fuisset, in Archiepiscopum Colonien. eligitur anno domini 1547. ipsa Conuersionis D. Pauli, Caroli 5. commendatus & ornatus testimonio. Erat vite integritate, pacis studio, egregia corporis statura, tum plurimis alijs virtutibus praditus, nemini mortalium secundus: qui breui sua humanitate omniũ Principum gratiam sibi conciliavit. Erat & Catholicae religioni addictissimus. Vbi autem ad eam dignitatem peruenit, mox religionem tota diocesi restituit, Bucerana commenta prorsus aboleuit, & verum pastorem se re ipsa declaravit. Cum suis Collegijs Archiepiscopis Tridentino Concilio interfuit, et inde propter Brandenburgicum bellum, deturbatus est. Primũ sacrũ Augusta in presentia Caroli & Ferdinandi ac multorum Principum anno domini 1548. celebravit. Colonia splendidissime & faustissime presente duce Iuliacensi VVilhelmo ac Comite de Cornei, tum multis Comitibus infmitisq; Nobilibus, cum duobus millibus equitum, magno splendore urbem intravit, & magnis honoribus susceptus & inauguratus est in die S. Pantaleonis, anno salutis 1550. Praesuit Episcopatus annis 9. optime ac vtilissime, & Brulis huic lugubri valedixit vita, & Colonia in summa basilica, in concameratum sepulchrum, erecto marmoreo simulachro, terra omnium parenti, summo suorum luctu datus est 14. Septembris, anno domini 1556.

70. Antonius Adolphi frater, Præpositus Leodiensis atque Traiectensis superioris, nec non diui Gereonis Decanus, Metropolitanæ Coloniensis iunior Canonicus, à Capitularibus anno domini 1556. concorditer electus in Archipræsulem Coloniensem. Referebat hic fratris ingenium, aut aliquanto modestius, verum non diu in eo statu sanus ac viuens per mansit. Anno do. 1558. 18. Iunij decessit ex hac mortali & lugubri vita, in Castello Godesbergio, et Colonia iuxta fratrem in eodem reconditorio tumulatus est. Assumpserat hic in Suffraganeum D. Ioannem Penatium, fratrum Minorum Prouincialem Theologum, qui anno do. 1563. mortuus est, ac Moguntia sepultus.

71. Ioannes Gebhardus è Mansfeldicis Comitibus, Præpositus Traiectensis & S. Georgij, electus vnanimi totius Cleri consensu anno domini 1558. ipsa S. Anna. Fuit quidè natura bonus & tranquillus, pacificus & liberalis Princeps, & verè generosum habens animum. Licèt ex Saxonia fuerit ortus, vbi Lutheranum virus primum radices egit, ipse tamen per omnem vitam fidei Catholicae fuit obseruantissimus. Ferdinandi inaugurationi in Imperatorem interfuit. Præsuit quidem quietè, at non ita vtiliter annis 4. mē sibus 5. qui anno salutis humane 1562. ipsa Annarum die Brulis aqua intercute mortalium valedixit conuersationi. Colonia in summo templo iuxta antecessores in eodem tumulo repositus est. Horum posterorum intestina Brulis in Franciscanorum cœnobio reposita sunt.

72. Eriodericus 4. ex Comitibus à VVeda, Decanus summi templi ac præpositus Traiectensis à Senatu Capitulariū an. do. 1562. superiore defuncto, ipsa d. Elizabeth canonicè ac legitime electus succedaneus fuit. Præsuit prudenter

& vtiliter, bonus & circumspectus Oeconomus. Electioni et coronationi Maximilian 2. Imperatoris Francofurti interfuit. Pontificatus sui anno 6. seipsum vltra cum summa gratiarum actione propter corporis grauedinem, & alia quadam incommoda abdicauit, tradens liberam in manus Capituli electionem. Assignata ei fuerat satis honesta pro sustentatione, portio, verum morte praeventus in eodẽ abdicationis sua anno, non percepit. Ipse verò inde per annum cū sua familia Colonia priuatim sacris studijs & lectioni vacans vixit, & natura debitum circa natalitia Christi feliciter soluit, & Colonia apud Predicadores fratres honorifice sepultus est. Isti tres postremi Sacerdotio non fuerunt initiati.

73. Salentinus illustris Comes Isenburgicus, Decanus apud S. Gereone in ac Canonicus summi templi, eximia virtute, eruditione ac sapientia praeditus, concordibus totius Capituli Coloniens. procerum suffragijs electus anno domini 1574. 23. Decembris. Inde anno domini 1574. in Paderbornensem Administratore concorditer creatus & inauguratus. Elegit Ratisbona cum alijs imperij Electoribus Rupertum in Regem Romanorum anno domini 1575. Est praeterea Catholica fidei obseruantissimus, qui iustitiam defendere conatur imperterritus.

Diaecesim aere alieno oppressam et oppignoratam liberare reddere incumbit. Vt aut postea seculis, quid provinciae contulerit, innoteat, paucis adijciemus. Praefecturas, arces, possessiones à Praedecessoribus bo. me. Theodorico à Moers, & alijs oppignoratas, maximoq; aere alieno gravatas, à nexu pignoris liberare cepit. Inter alia, domum cum attinentijs yniversis in Nette prope Andernacum Praefectu

ram & arcem in Erprode prope Nouesium, VVichterinck sub prefectura Lechernich. Castrum & ciuitatem in Vrdingen Rheno adiacentem.

Item in Vvestphalia sub Comitatu Arnsbergensi, oppida Nahem, Brilon, & alios redditus Ecclesia restituit. Castrū deinde in Hornēburgh, totumq; districtū VVestæ Richlinghusensis. Cum hoc territorium Comites à Schavuenburch ultra 150. annos quietè possedissent, huic reduktioni ac redemptioni agerrimè consentire potuerunt. Verum Reuer. instantia ac Casarea Maiestatis auctoritate, compulsi tandem, summa pecuniarum olim sub Theodorico à Morß Archiepiscopo expositarum scilicet 17550. florenorum aureorum, accepta, cedere coacti sunt.

Neque enim operapratiū seriem rei omnem hic annotare arbitror, sicut nec de Casaris VVerdena, cuius nomine Reuerendissimo: non exigua lis cum Cliuensibus fuit, donec ipsa tandem decisa, ad quietam possessionem Coloniensis peruenit Ecclesia.

Cæpit & hic Princeps Elector Salentinus cum suis Capitularibus de euacuando & restituendo Castro, Telonio & oppido Zons, qua Capittulum aliquot annis occupauit & possedit, strenuè agere, aded vt hec res atq; actio ad Imperatoris decisionem sit relata. Nec destitit bonus Princeps Castra, in quibus cum aulica familia plerunque agere solitus, vtput à Poppelstorp, Bruel, Casaris Insulā, Berkam et Arnsbergium, ipsam Bonnam, nouis structuris & adificijs ex fundamento splendidè ornare ac augere.

Hic igitur Salentinus cum annis decem laudabiliter ac vtilissime diacesei præsuisset, conuocatis Nobilitate ac opidorum prefectis, Brulis anno domini 1577. 13. Septembris

bris, in pleno conuentu renunciauit, inde altera die, id est dñi
 Materni, qui primus fuit absolutissimus Episcopus, Colo-
 nia in summo templo ac Capittularium Senatu, quum qua
 dicepsi contulisset, quas molestias pertulisset, quas eius no-
 mine profectioes fecisset, lōga oratione commemorasset,
 summa gratiarum actione tota prouincia cessit, tradens li-
 beram in manus Capittuli electionem. Resignationis cau-
 sam potissimam adducebat, quod stirps illa Isenburgica, vn-
 de ipse originem trahebat, masculino herede careret, illam si-
 bi prouinciam commendatā assererat. Inde ipse cum Comi-
 tis Arenburgij filia contracto matrimonio militia vacabat.
 Anno domini 1574. in die natalis Deiparæ Virginis con-
 secratus est iam dudum electus in Suffraganeum Colonien-
 sem debitis caremonijs in summa eade R. D. Theobaldus A-
 quisgranensis Theologia professor eximius.

Anno domini 1574. 26. Octobris tristis admodum & fu-
 nestus Colonia in Gymnasio Iesuitarum accidit casus, vt à
 quodam furioso homine tres Sacerdotes de Societate Ie-
 su in temporis momento interficerentur, scilicet dominus Io-
 annes Rhetius Theologus, dominus Leonardus Louaniensis
 & dominus Nicolaus Faber, optimè de Repub. Colon. me-
 riti. Qui totius ciuitatis mærore incomparabili sepulti sunt.
 Circa annum domini 1546. Domini de Societate Iesu Colo-
 nia sedem habere cœperunt; & paulatim eorum numerus
 & autoritas auctior ac notior facta est. Horum sanè studiū
 non potest non iuuentuti, imò toti Reip. vile & necessarium
 videri.

74. Gebhardus Liber à Vvaldburg Baro, ex honesta ac per
 antiqua familia, anno salutis nostræ 1577. pridie diui Nicē-
 lai, à maiori Capittularium Senatus parte, in Archiepisco-

pum-Colon. creatus est. Cum iam post alterius resignationē,
 diocesis tribus ferè mensibus sine legitimo stetit Rectore,
 Capitulares post diuinam deliberationem, in magna rerum
 perplexitate, hunc in summo templo, creantur & exal-
 tarunt. Propositus quidem erat Capitulo, & summorum
 monarcharum literis commendatus insignis heros & mul-
 tis ornatus virtutibus, Ernestus Ducis Bauariae filius, Episcopus
 Hildesheimensis, &c. vir doctus, in quem nonnulli con-
 senserunt, verum quod eligentium Capitularium votum D. Geb-
 hardus, cognomento Truchses potior esset, assumptus est, &
 à Nobilitate pariter ac ciuitatibus summa cum gratulatio-
 ne inauguratus. Fuerat Praepositus Augustanus, ac Cathe-
 dralis Ecclesiae Argentimensis Decanus, summi templi Col-
 Canonicus. Commendatur tum literarum eruditione, tum
 multarum peritia linguarum, commendatur & animi mo-
 destia ac singulari pietate. Optandum sanè ac omnibus im-
 precandum votis, vt prouincia Colonien. amplissima, legitimi-
 mum tandem haberet pastorem, qui re & nomine fidelem
 ageret Praesulem, cum amissam aliquot eo caruerit. Omnes
 autem pij de hoc iam assumpto Reuer. benè sibi pollicentur,
 eum pro sua singulari prudētia ac pietate praestitutum,
 quod alij neglexerunt. Nos in eius cōgratulationem
 pro nostra tenuitate tale Panygmicum
 adscripsimus carmen.

QUIS nouus hæc populi gignit noua gaudia
rumor,

Cuncta aq̄ gratanti plaudere voce facit?

Diffluit in latos vrbs tota Colonia plausus,

Mille voluptates, iubila mille ferens.

Est nouus auspicijs electus Episcopus æquus,

Spes patriæ, Cleri gloria, stirpis honor,

Felix illa dies, qua tantus origine Princeps,

Est sacri factus summa corona gregis.

Salue vas lectum magni cultorq̄, Tonantis,

Et pietatis amans optime præsul aue.

Dum tibi gratantur reliqui, Superosq̄ præ-
cantur.

Vt tibi sit faustum præsulis illud opus.

Nos quoque per tenues Musarum dona Camenæ

Ex Helicone tibi fata secunda damus.

O caput & requies & lumen Episcope Cleri,

Dij tribuant studijs omnia dextra tuis.

Dij tibi sint faciles tam munera sancta petenti,

Sit Superis etiam mutua cura tui.

Te pater omnipotens fautor, rectorq̄ piorum

Et tua sancta suo munia iure regat.

Te Christus summi soboles æterna parentis,

Corporis & animi fulciat vsque bonis.

Te sanctus super a perfundat Spiritus æthera.

Et tua diuino pectora fonte riget.

*Vt tibi subiectos moderata lege gubernes,
Et super inspicias quid rude vulgus agat.
Ne tua plebs pereat sectis obiecta luporum,
Sed doctrina tuas una sit inter oues.
Et quisquam dubitet, talis quin praesule nobis
Omnia felicem sint habitura modum?
Te Deus ad tantum munus legisse videtur,
Atque sua populi voce creasse ducem.
O quam speratis successibus omnia currunt,
Cum Deus ipse suos munus obire iubet.
Tum floret pietas, virtus & amabile rectum,
Vnaque cum vera religione fides.
Tum per se populus flagrans probitatis amore
Concordi studio, iusque primumque colit.
Tum Deus effuso quasi sufficit omnia cornu,
Atque suis praesens influit omne bonum.
Quin capis oblatos tantae pietatis honores,
Quae tibi de caelo, non aliunde venit.
Praesulis officium sanctum duce suscipe Christo,
Idque Deo munus grande iubente subi.
Hoc pro te Clerus summum praeco Numen adorans
Flagitat, assiduis laudibus ante Deum.
Hoc vult immensis tibi fida Colonia votis,
Hoc ditissime tua plebs moderanda petit.
Hinc pia plebs fundit felicibus omnia votis,
Et tibi salvificum tale praecatur onus.*

Vix credas populi quantum tibi fauerit aura
Quasque preces summum fuderit ante Deum.
Ut tu consensu legereris Episcopus omni,
Atque sacri fieres summi caputque chori
Per te forma decens iterum, meliorque resurget,
Et patriæ requies, & pietatis amor.
Hoc tua tum morum, tum vitæ dictat honestas,
Et tua labe carens splendida tota domus.
Et quia tanta semel tibi munia danda fuerunt,
Inque humeris patriæ cura locanda tuis,
Iccirco varijs naturæ donibus auctum,
Te celebrem cunctos prætulit ante Deus.
Atque tuam meritis euexit ad æthera stirpem,
Fecit & è reliquis exeruisse caput.
Quid loquar, ille tuus quã sit præclarus auorum,
Sanguis, & ingenio nominibusque potens?
Ille vel ad belli, vel magna negotia pacis,
Lumina perpetuo quam generosa tulit?
Ille pios peperit seruos Christi que ministros,
Quorum vera fuit Marte retenta fides.
Vestra domus magnis sublimis & inclita donis,
Iustitia, studio, religione valet.
Hæc te progenuit decus admirabile Cleri,
Iam patriæ factum, Christianumque ducem.
Ingredere officij partes dignissime Præsul,
Quas iam dominus Christus habere iubet.

*Tu modo pasce gregem domini verboque salutis,
Prospice subiectas sedulus inter oues.
Ut cum clementi steterit sub iudice Christo,
Pastorum vero Principe summa dies,
Pro mitra faciat palmae, laudisque coronam,
Pro gladio tribuat regna beata Deus.
Hoc pater et Christus iudex, mundiq; redemptor,
Teque suo recreans Spiritus igne velit.*

F I N I S.



HISTORIA

ARISTIAE

DE PISCIONALI

[Faint, illegible text]

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

66827181